Comm... ...xl.
D. ... ...

Teol. 5134.

Chyliński Vladislai: Decennium triumphale, quo novi Orientis Troiam unus pro millibus D. Franciscus Xaverius, dux, miles, victor, sanctus ac felicius ut servavit, expugnavit.

D. Franciscus Xaverius
Chylinski Vladislai Decennium Trium
Sextam Collegii
phale

DECENNIVM TRIVMPHALE

Quô Novi Orientis TROIAM
VNVS PRO MILLIBVS

D. FRANCISCVS XAVERIVS

DVX, MILES, VICTOR,
Sanctiùs ac feliciùs ut servaret,

EXPVGNAVIT

Pro Rostris Konarscianis Coll. Posn. Societatis IESV
CELEBRATUM

HONORIQVE ILLVSTRISSIMI DOMINI
D. STANISLAI CHRISTOPHORI
IN TUCZNO

TVCZYNSKI.

CASTELLANI GNESNENSIS,
CAPITANEI POVICENSIS &c, &c,
Domini & Patroni Faventissimi
Ad felicem collatæ Senatoriæ Dignitatis nuntium

A GENEROSO DOMINO
Vladislao Chylinski Eloquentiæ AUDITORE
Plausu Gratulatorio
DEDICATUM.
Anno triumphantis in Carne DEI-Hominis 1682.

POSNANIÆ,
Typis S. R. M. Collegij Posnanien. Societ. IESV.

IN STEMMA ILLUSTRISSIMI DOMINI D. STANISLAI CHRISTOPHORI TUCZYNSKI, Castellani Gnesnensis, Capitanei Povicensis, &c, &c,



Cur teretem, se Stemma Tuum, *convolvit in orbem?*
Nempe Tuum *toto clauditur orbe decus.*

2.

Quæ sub Patritiis evolvitur Orbita Ceris:
Illa Tibi *æternos devehet orbe dies.*

3.

Stemma licèt Patrio Magnum concluditur Orbe;
Fama sed est lustris major, & orbe, Tua.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. STANISLAO CHRISTOPHORO IN TVCZNO

TVCZYNSKI

CASTELLANO GNESNENSI, CAPITANEO POVICENSI &c. &c.

Domino & Patrono Faventissimo

AD Te *iterum redit sanctior ille novi orbis triumphator* Franciscus XAVERIVS Illustrissime Domine. *Admitte per oculos quem in Decembri nuper placuit ab eruditis non arcere auribus, tam inter sacri, quàm Martialis animi* Tui *Lares, Tutelarem. Decennii illius plùs quàm Achille triumphis, quos honorato Aurium judicio decrevisse videbaris, unicum augustæ Domûs* TVCZYNIANÆ *Capitolium angustum non est; in quo & tam Vasta Majorum amplitudo, & ingentes meritorum cumuli suam non amittunt Majestatem. Quærit lucem se dignam* XAVERIVS, *ut post Antipodum noctem contractamq; ab umbratili Oratore nebulam evadat in publico illustrior; jam in Regiam solis penetrare videbitur, si in* Tua *tam pacis, quàm belli splendoribus* Illustrissima *manu, conquiescat. Tot titulis quibus illum mea compellat oratio, unus* Tu *sufficis attollendis. Dux & Miles contra Trojam Orientis, à Domo manuque* Tua *inveniet suppetias, cujus Martiali, veriùs Spartana, Tot annis Cohorte, se Polonia & securam fatetur & invictam. Victor, ex Gentilitia* Rota *currum trahet triumphalem, si non tam ascensum illi, quam comitatum cursus Patritii concesseris. Eques hic Navarrhæ Liliatus, post emensa pedibus tot viarum ardua, hâc provehi* Rota *non recusat, ut non sola cunctatione triumphet, cui Celerita-*

leritatem TVCZYNIANA *Orbita imperabit. Fortunam in manus trahere Fortibus, ex ambitu, an usu fuerit; tenere* XAVERIO *jam concessum, si & Gentilitiam cum manu* Virginea *prehendat* Rotam, & Tuum *occupet animum, qui Ara Fortunæ dici mereretur, nisi cæcos horreres Deæ hujus titulos, cujus oculata munificentia in minimam Societatem, sacratiora cum* Illustrissima Domo Tua, *delubra, Lojoleanæ erigit pietati: Non aliter ad immensum luctatura fastigium, nisi pares magnitudini tantæ assurgerent Basilicæ, ex quibus, velut ex umbra vastitatem metiamur* TVCZYNIANAM. *Unicum est, quod in* Tua *desiderabatur magnitudine. Errabant per avitas Majorum* Tuorum *Ceras Purpuræ, in* Tuos *nondum se trabea supplex reclinaverat lacertos: sed jam demum plaudentium vota coronasti,* Tuaq; *merita, dum in Nido Polonæ Aquilæ, augustas occupas Curules, & subsellia, in quibus pro Divina Republica & pro* XAVERIANO *honore Togatus promas oracula* Senator. *Ab hac & ego derivo colorem rubore mq; Purpura, quod nihil* Te *dignum mea in* Tuas *manus ferat pagina. Sed parce. Malui minùs disertus videri, quàm parum tanto Auditori gratus. Post Clavas Fascesq; paludatos, Dux, Miles, & Victor* XAVERIVS Tuam *occupet dexteram. Hæc quoque sanctiori huic Gradivo Thracia fuerit in cunas Martiales, perennemq; stationem. Par Macedonico* Tua *orbita, in qua & Musæ &* XAVERIVS *hospitetur. Quem dum in Senatorias* Tuas *deduco Curules me ipsum æternis consecro studiis obligatum.*

Illustrissimæ Dominationis

Devinctissimus nuper Orator, semper Servus.

VLADISLAUS CHYLINSKI

Eloq. in Coll. Posn. Auditor

ETiam December laurum parit XAVERIO. Cave Troja novi Orientis. Triumphale illi Decennium eſt. Vnus pro millibus Dux, Miles, Victor, Tuum armatur in excidium. Ne aliter novam hanc Iliadem niſi unus capiat in nucleum Alexander. Sanctiùs tamen illa, quàm olim expugnatur. Vt ſurgat, cadit, capitur, ut ſervetur. Ruinâ, Numinis adorat plantas, ſuam ut erigat fortunam: cœlo ſuppar, dum intra ſuam decreſcit ſtaturam, in quam ſcelerum elata typho intumuerat. Ergo perge, Iovi Aſtriſq; formidatum nomen, Divine Aeacida decennali Marte novum novi Orbis aggreſſurus Ilium, ut ipſa annorum fatorumq; pertinacia numerum Tibi cumulet trophæorum. Iam pridem juſtum indixêre bellum hoſti, Cœlites, dum THOMAS, novus veluti Fecialis, haſtam in Meliaporenſi defixit ſinu, ut non alia Te Achillem arma inſignirent; quàm quæ hic ſanctior Mulciber in Trojam, fabricavit, indubio Victoriæ præſagio. Ibunt nempe venales ſub jugum Tuum Indiæ, quas ſub cruentam THOMÆ Haſtam, obærata coëgit impietas. Satis ad magnitudinem fuerat Alexandri, novos meditari orbes, quos ambitu ſorberet temulento; Tibi vincere, citra conatûs faſtidia congenitum, cui prædux ſariſſa, Capitolii monſtravit ad alta viam. Maximè cùm haſtato heroi, tantum in ſagittariam barbariem certamen, quantum Giganti contra Grues.

Tuta ab ictu XAVERII manus, dum haſtata, Vulnera jam & cædes ſpirat, certamen depoſcit, ſi

cum paribus instauretur. Sed æmulo caret virtus? Quod imperat caput, tutum pavore latet? Prodit tamen hostem fuga, dum nomen celat. Ipsæ reum damnant tenebræ vel loquuntur. Latebris natam credite noctuam quæ solem fugit. Ita est: æternis damnatus noctibus cæcus Orci tenebrio, XAVERIANVM lacessit robur, arenam tamen ne turpiter cedat, vitat. Paris videlicet, sed stygiâ Medusâ natus, non Hecubâ. Caput Trojani belli crederem, sed sine cerebro, quòd tam putidè fatuum attentavit Martem. Facem nemo dixerit, nisi ab umbris somnii squalidam, tantum fidei habentem, quantum sopori, credi solet. Quanquam titioni similior, sudiq; præustæ, quæ rogum orbi accendit parentalem, ipsa totius æternitatis anhelitu nunquam extingvenda. In hoc Paridem fateare, quod raptorem. Tot Helenas suæ intulit Asiæ, quot animas cœlo rapuit. Alieno lucro Plutus, suo Codrus. Nisi Helenas neges, quas vix sulphureâ afflavit caligine, Thersites fecit aut Gorgones, post Divinæ iconis colores, infernali penicillo maculosas. Hæc nempe fatalis fuerat, Orientis calamitas, ut ad solis cunabula, cæcâ squallere nocte cogeretur, in ipsoq; diei vestibulo, tenebras salutaret. Quanquam fuliginem non umbras dixero, quæ & vultibus humanis symmetriam cœli ademerat. Ita fumante, stygiis vaporibus Indija, ut formam etiam Ganymede dignam in Æthiopem defædaret caligine, qua pectus horrebat.

Tuo enim verò servata hæc felicitas decennio XAVERI ut hunc sudore tantò lavares Æthiopem, dum portares. Nec vota conatus lusit. Vix sacris irrigata thermis tellus illa sterilis, mox post trucem fædamque imaginem, gratior in genis regnat color, excussus impudentiâ barbarâ redit in vultum virgineus rubor. Illud tandem supra Spartanam felicitatem nactus, ut non jam Helenam Paridi stygio vindicatam abstulerit, sed tot

tot fecerit Pulcherias, quot ſacro renatas fonte animas, dignas pro quibus XAVERIVS, Ducem ageret, militem & victorem.

Quidni verò tam beata in decolore hactenus India regnet pulchritudo? ubi triumphalis ſemper in ſui victore XAVERIO Morpheus, thermas aperuit non undæ virginis ſed ſanguinis. Credideram ego XAVERIANVM inſomni nocte pluiſſe vultum, ne poſt tetricam fædamq; Veneris in cœlo nebulam non alia ſperaretur tempeſtas quàm ſanguinis. Indurata Orientis pectora emollire cruore decuit, à quo adamas ſuam temperat duritiem. Laſſata ſub onere Evangelico brachia, quidni ſanguinem exſudarent? Morbum quo innocua Franciſci mens laborat, non aliud quàm ſanguinis diminuti levat remedium. Venenum prope Venus, non mirum ſi ſudat lapis, orthodoxam erecturus fabricam Orienti. Excute torporem deſes anime. XAVERIVS vix excitur ſomno, faciem cruore abluit, vegetus ut laboret. Sed commenta hæc non oracula fuſi ſanguinis. Pro novi Troja Orientis hæc vulnera, quibus dum ſaucius laborat, hoſti medetur. Grandem nempe patitur lepram India. Fruſtra auream Ganges arenam ſuggesſit; quâ fæditatem detergeret, niſi XAVERIANI balneo ſanguinis, rubigo curaretur animorum. Martialem agnoſce in Franciſco animum, de raptu cum Troja bellum gerit, pudet non eſſe cruentum: ne fortius pro ſua Carthagine pugnet Annibal, in ruborem Cannas Aufidumque cogens, quàm pro cœlo XAVERIVS, niſi Simois quoque novæ Trojæ exundet in ſanguinem. Quaſi Dardanium non fuiſſet prælium: niſi cruore maderet Hector, quo incenſa Pergama ſopirentur.

Diſcant ex hoc Duce, Bellatores vigilantiam. Noctem vigil ducebat in armis. In ſomnum vix declinat mox ſanguine erubeſcit, quod lecto extra olorinam licet culci-

culcitram indulſerit. Hic nempe magnorum nominum cenſus eſt, præeſſe omnibus, ſervire cunctis, vigilando. Imperare Civibus, ſubeſſe fortunæ, & livori; ne incauta premant: leges & jura dare populis, ſed ne gravent excubare. Thronus Principum quo altiùs anteſtat cæteris, eo oculatior eſt, ut excubet velut in ſpecula, ad commoda ſubditorum. Tam remoti à ſomno Reges, quàm incerti periculi, ne imago hæc mortis, fata vehat. Ignara ſoporis, majeſtas honorata, cui illuſtres tituli noctem diſſipant, dum oculos everberant, ne quieſcere poſſint. Aeſtivum tolerare jubar, tranſnare ſonoras torrentum furias, aſcenſu vincere montes, necnon in clypeo vigiles porducere noctes, in galea portare nives, hoc demum Regiæ Ducaliſq; clavæ honorarium.

Ergo age Spartane in XAVERIO anime levatum brevi licet ſomno caput. Palatus quoq; poſcit refici. Satiet poſt cruda obſonia famem paratu conuivali, Dux & miles, ut redeat fortior poſt otia pabulaque virtus, vigilia inſomni laborum enervata. Venetiæ convivium inſtruunt, quas vel mare ſale condiat, vel Lazari triclinium. Paret invitanti XAVERIVS Oratori. Inediam ſed heu quàm fœdo refovet alimento! Purulento ulceri os admovet, haurit ſorbetq; ſaniem, à nauſeante natura exilio ad extra multatam peſtem: lambit vulnera, putridum ſugit ſangvinem, quem ne oculus horreat, lino obtegit; ſorbet putre nectar Divinus nimirum Helluo animarum. O novum amoris famelici condimentum! ex quo XAVERIVS & fiduciam vincendi ſuxit, & virus imbibit, quod in ſtygem effunderet, plus cœlum ſpectaculo, quam famem ſatians horrido obſonio. Major certè Mithridate, qui ut cœlo proficiat hauſta potio venena libat, immortalitatem hauſturus, dum mortis bolum ſic decoquit fervens amor. Propina cœleſte nectar Diis Ganymedes; pus XAVERIO dulcius cœli cyatho, quod

quod tam avidè prælibando haurit. Vnicum est quod querar. Fabulas in oraculum revocat Franciscus, dum sic convivatur. Letheum fontem gustat. Tam virulentum dum vacuat calicem, XAVERIVM se esse oblitus est. Sed non demersit magnitudinem nominis sui hôc profundô. Herculem ut ante adoramus, non ex Iunonis ubere, sed ex pure Venetico magnanimum. Robur inde non virus hausit, Divinus hic Alcides. Cave Troja Orientis, tuo excidio. Sanctior hic in te quàm Catilinæ conjuratio: sanguine hausto jurat in Tuam perniciem. In arma sic potus prosiliet, ut tibi hederam sibi laurum pariat.

Minas ego intentavi Indiæ; FRANCISCVS pœnas ictumq; sine mora torquet. Haustô solidior alimentô, in adamantinum animatur robur, quo Trojam expugnet Orientis. Metire quid audes anime. Herculeus vigor est, qui unum contra tricorporem certat Gerionem. Non alia Iovi in Gigantes triumphi ratio, nisi evocatæ à Vulcano Aquilaq, suppetiæ. Sed frustra tenetur qui solus statuit triumphare. Vnus castra sibi facit, mortemq; vitamq; provocat magnanimus in duellum. Tot in se Celeres nactus, quot passus ad millena invia paratos, tot Immortales, quot inscias virtutes fati, tot phalanges, quot linguas, tot Triarios, quot heroos ad magna ausus. Quanquam non solus tamen depugnat, ne solus avidè coronam ambire videatur. Admittit socios, ut à pluribus cadat victus hostis, dum plures cadere non posset. Eam demum singularem reputans victoriam, ut à singulis se fateatur barbarus mancipatum, ne semel tantum miser sit, nisi auctô à pluribus, cumulô servitutis, prematur.

Et certe dignum in armorum societatem, Dux XAVERIVS advocat Bellatorem, dum fæderatas Domino exercituum conjungit vires, quo mænia Trojæ, Vulca-

ni fabricata manu, corruant fortunatò. Cernite enim vero quantum pro XAVERIANA laurea laboret Deus Homo, dum post fata ad terminalem vitæ columnam in sudorem eliquatur. Grave humanæ imbecillitati bellum XAVERII, sub quo & Divinus Alcides languet, ut jam non mirer marmora lachrymari, dum lapis virgineo è monte erutus sic distillat in sudorem. Vnam optavi laurum Victori Indiæ, messem spero, dum sterilis licet tellus, tam liberali rigatur imbre. Serenum non speret delubris suis diem Indus, sole Oriente XAVERIO. Grandines & fulgura pollicetur, dum cœlum ita sudum cogitur in vaporem. Nisi quod incorrupti à vulnere corporis XAVERIANI præsagium hoc, salsusque per artus cruor iit Numinis, quidni arceat omne tabum, quo putrescat?

Cruciatam ad suppetias FRANCISCI, dedit cælum, dum sudantem in Cruce Deum auxiliaribus adlegit Copiis. Navalem quoq; manum Neptuniam contra Trojam, evocari est necesse. Novit comitatis officium, imo necessitatem fœderis, vectigale quia mancipatum XAVERIO mare. Illas proinde in subsidium explicat Aquilas, in quarum signo vicerat Constantinus. Nec ignava cancro licet Portitore obsequia. Fervida quia ab irato enatârunt fluctu. Grandis bajulus muneris, reptare debuit, ut tutius se grandia volutarent, quam volarent. Et belluas Crux gravat, cum tardigrado passu ire cogit. Non est avarum mare. Egerit in terras thesauros, quibus humana ditescat tenuitas. Gemmarum Patria mare, non melius tributarium XAVERIO impendat censum, quàm si appensum in statera Crucis unionem conferat, quo mendicus Orbis, exuit Bellizarium.

Iam mari cæloque potens clasicum occine XAVERI. Magnitudini Tuæ succenseas, si Te Oriens non capiet

capiet. Orbi par tanta virtus, Numini ſociata. Sed age, gloriæ hoc Tuæ documentum, ſi Tê India minor ſit, quam nec majores Orbe, ceperunt Alexandri. Quanquam ſatis ad majeſtatem Tibi fuerit, Orientis novi Trojam extinguere, ne præter Te quiſquam ſibi polliceatur diem Orbis dum tu in ocaſum cogis, ortum Phæbi. Manum tamen adhuc ne temne puerilem, licet Te jam armavit Divina. Lucta Tibi contra Pygmæam Deorum vilitatem. Non indiget magno clades hæc apparatu, Imbelli manu trophæa eriges. Triumphalis contra ſtygem innocentia eſt. Nec lituos hæc arena poſcit. Campana tinniant æra, ut apes hæ ad ſuum cogantur alveare. Graviús timori vulnus eſt, ſi puerili ſentiat ſe feriri ictu. Nulla acerbior ſuperbo cicatrix, quàm ſi ſuum contemptu videat faſtum ſterni. Magnis capax auſibus infantile robur, cum toties hoſtis mori debeat, quoties ab impari ſe agnoſcit ætate vinci. Eſt quoddam fatale infortunii ſolatium, cito & cum velis mori. Puerile vulnus quó languidius, eò crudelius, in quò dum optata moram trahunt fata, magis torquent.

Quod ſi arte etiam non ſolo Gradivo bella conſtant. Trojanum Tibi Pallas ingenii, equum fabricet. Eô ſolô diſparem, quod doli fraudiſque incapacem. Dicta prævolat XAVERIVS. Nempe dum raptatur ab equi cauda pendulus, obſituſq; viarum pulvere tot oberrat invia, Trojanum Indiæ machinatur Equum, quo ad triumphale properet Decennium. Nec alia illi vincendi fuerat ratio. Eques Navarrhæ Liliatus erubuit pedeſtre certamen, niſi celeritatem Iulii æmularetur, Equeſtris Bellator, quô immortalitatis decurreret Olympia. Majore plauſit triumpho; carpento bigiſq; vehi debuit non pedibus ovare.

Sociat & armaturam levem puerorum ſuo Marti.

Et vix candida illa quia innocua explicat signa, subito fana suis ruere sedibus, delubra concuti, aræ frangi, incendi altaria, idola sterni, mutilari Numina, æquata humo disipari Deorum templa: Effringuntur valvæ, subruuntur aræ, vastantur tecta, simulacra funditùs evertuntur. Iuppiter exarmatur fulmine, Marti mucro rapitur, Exuitur Bacchus hederâ, Apollini laurus lyraq; excutitur. Xacas in frustra corruit, Amyda testas dispersas colligit. Bonzii fugati, sacrilegi exacti mystæ. Flamines expulsi, Religio stygia, calcata jacet, templa cantu Lymphatico silent, thure extincto foci tripodesque vacant, impietas damnata, Deorum cultus pessumdatus. Quocunq; flectis oculos, jacet ingens Deorum truncus avulsumq, humeris caput, & sine Numine corpus, ubiq; stipante Ducem infantili agmine Et dum circum pueri innuptæq; puellæ sacra canunt, sternuntur inertia passim Numina, perq, domos & Religiosa Deorum tecta, saxea grassatur manu puerili grando, ut muti illi Memnones, concussa cælaturâ, plantas, per ruinam veri ubiq; adorent Numinis. Sic venit summa dies & ineluctabile tempus, Trojanas ut opes & lamentabile regnum, multos dominatum per annos, eruerint pueri Duce XAVERIO & Achille, ceciditq, superbum Ilium, & omnis sanctiori acerrâ fumet Neptunia Troja.

Ergo sat sat triumphi Francisce. Iam capitis minor Xaca, rebelli gestat aheneos cervice vectes, & superbum mæret humi posuisse vultum. Delubra strata extincti cum thure sacrilego foci, jam virtus pietasque regnat Indis, Te victore. Sed satis fortunæ non animo XAVERII. Exhaustus triumphis Ganges Indicus, nondum sitim trophæorum avidàm extinxit in FRANCISCO. Alios adhuc orbes quærit, dum India magnitudinem ejus non capit Giganteam. Chinas meditatur, ut illis conclusos mæniis Deos persequatur, quo

exu-

exules transfugas timor abdidit. At votis huc non paſsibus licuit progredi! Confundunt conatus fata! Chinenſe iter cogitat, ſed viam cæli lacteam carpere cogitur. Gaditanum eluctatus mare, ultra terminales progredi tentat columnas: ſed metam *non plus ultra* cæli fataq; Alcidæ huic deſtinârunt. Ardet Icario auſu inacceſſum evolare ad clima, pennis quas Dædalus illi fabricavit amor, ſed cereus labor febrili calore diſſolutus tepet. Mederi æſtui ardoriq; XAVERIANO cælum voluit, vota fervida temperando: ſed non extinxit ignibus ignes. Intendit potiùs, dum febrim, rogum veluti Phænici novo fecit parentalem. Hâc pyrâ hic Hercules conflagravit. Oeta illi Sancianum littus, egeſtus mâris fluctibus pulvis an Inſula, ne alibi fatalem inveniret conflictum heros animus, quàm in arena; Non aliter decennium contra Orientis novi Trojam triumphale ratus, niſi poſt Hectores & Achilles ipſe caſu ſuccubuiſſet parentali. Immortalem virtus fecerat: formidavit diu mors aggredi; ne quam tot animatis terruit buſtis, caſtigaret: ſed ubi ventis conceſſa libertas eſt, ut pervio ſævirent impetu in languentem; ſibi quoq; acceſſus rata fieri, FRANCISCVM ſternit exanimem, ut hominem probet, in quo Angelica fuerant omnia, præter mortem. Vaſtus quia orbe altero capi vix potens animus, inter anguſtias palatiaq, mori noluit; ne liber arcto loci, cogi ad fata videretur. Inter ramos apricaq; campi vivere deſinit, ut lauros palmaſq; carpat ad triumphos.

Sed quæ nova triumphi ratio extra Romam? Nec Roma FRANCISCO defuit, nec Capitolium. Soli plauſus inſtaurat triumphales manui, ex qua Gigantem metitur, qui nec recipi portis totus, aut duci inter mænia poſsit. Dignam Tarpejo theatro dexteram, & Vaticanum agnoſcit caput, cui dum annulum inſerit Pi-

ſcatoris, laureatam vertici innectit tæniam. Cruenta equidem illa, ſed Trojanum hinc agnoſce Heròém, cui ex oràculo Delphico fuerant ſanguine placandi venti, ſanguine quærendi reditus in Latium. Vnicum eſt, quòd dum XAVERIVS Romano plaudit in Capitolio, Tullius in roſtris ſilere coram hoſpite cogitur. Sed vectigale elogium, eſt maximis taciturnitas & admiratio: XAVERIANVM AMPLIVS cælum ſibi vendicavit; mihi, & terris SATIS dixit.